

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XI. De Testamento Militis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

licet Testamentum, & cum singuli solenniter sunt consummati Vim Originalis habent, §. XIII. §. 13. l. h. J. b. l. 4. ff. d. his quæ in Testam. del. etiam hodie. Vicissim Testamenta Conjugum reciproca uno Codice perfici queunt, a. l. 20. ff. d. Vulg. & pup. subst. l. 19. C. d. pact. cum tamen sint diversa.

XII. Testamentum nuncupativum dividitur r. Modi probandi in simplex, & comprehensum Instrumento. Simplex solenniter nuncupatum est, sed in Scripturam non redactum. a. d. l. 21. In eo (1) Solennia ad Scripturam pertinentia sunt remissa. Leg. 26. C. d. test. (d) (2) Testes esse queunt, qui Literas nesciunt: l. 21. C. eod. Non vero qui Linguam Testatoris, in qua testatur, haud intelligunt. l. 20. §. 9. ff. qui test. fac. poss. Testamentum comprehensum Instrumento, facilioris Probationis gratia in Scripturam a Notario redactum est. j. R. J. d. A. 1512. t. 2. §. 5.

TIT. XI.

De Testamento Militis.

In militum testamentis solennitates remissæ.

Supra dicta diligens observatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam, Constitutionibus Principalibus remissa est. Nam quamvis ii neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solennitatem observaverint: recte nihilominus testantur, videlicet, cum in expeditionibus occupati sunt: quod

(d) In Testamento nuncupativo Solennitates ad Scripturam Testamenti scripti pertinentes remissæ sunt. a. L. 26. C. d. testam.

merito

* *v. l. pen. C. b.* merito nostra * Constitutio introduxit. Quoquo enim modo voluntas ejus suprema inveniatur, sive scripta, sive sine scriptura, valet testamentum ex voluntate ejus. Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis, vel suis ædibus degunt, minime ad vindicandum tale privilegium adjuvantur: sed testari quidem, etsi filiifamiliarum sint, propter militiam conceduntur; Jure tamen communi, eadem observatione & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus.

Rescriptum Divi Trajani.

Ex Florent. l. 24. ff. hoc tit. 1. Plane de testamentis militum Divus Trajanus Statilio Severo ita rescripsit: *Id privilegium, quod militantibus datum est, ut quoquo modo facta ab his testamenta, rata sint, sic intelligi debet, ut utique prius constare debeat, testamentum factum esse: quod & sine scriptura, & a non militantibus quoque fieri potest. Si ergo miles, de cujus bonis apud te queritur, convocatis ad hoc hominibus, ut voluntatem suam testaretur, ita locutus est, ut declararet, quem vellet sibi heredem esse & cui libertatem tribueret: potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas ejus rata habenda est. Ceterum, si (ut plerumque sermonibus fieri solet) dixit alicui: Ego te heredem facio, aut: Bona mea tibi relinquo; non oportet hoc pro testamento observari. Nec ullorum magis interest, quam ipsorum, quibus id privilegium datum est, ejusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter post mortem alicujus militis testes existerent, qui adfirmarent, se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui visum sit: & per hoc vera judicia subverterentur.*

De surdo & muto.

Ex Ulp. l. 1. ff. h. t. 2. Quinimo & mutus, & surdus miles testamentum facere potest.

De

De militibus & veteranis.

3. Sed haecenus hoc illis a Principalibus Constitutionibus conceditur, *quatenus militant, & in castris degunt.* Post missionem, vero veterani, vel extra castra alii, si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium civium Romanorum jure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum, non communi jure, sed quomodo voluerint, post missionem intra annum tantum valebit. Quid ergo si intra annum quis deceaserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit? an quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis.

Ex Afric. l. 21. ff. hoc tit. Ex Paul. l. 38. ff. eod.

Si testamentum factum ante militiam.

4. Sed & si quis ante militiam non jure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione degens resignavit illud, & quaedam adjecit, sive detraxit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis; dicendum est, valere hoc testamentum, quasi ex nova militis voluntate.

Ex Marcian. cell. 25. ff. hoc tit.

Si adrogatus vel emancipatus.

5. Denique & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filius familias emancipatus est, testamentum ejus, quasi ex nova militis voluntate valet, nec videtur capitis deminutione irritum fieri.

Ex Marcian. l. 22. & Tertull. d. seq. hoc tit.

De peculio quasi castrensi filiis fam. testari permissum, sed jure communi.

6. Sciendum tamen est, quod cum ad exemplum castrensis peculii, tam anteriores Leges, quam Principales Constitutiones quibusdam quasi castrensiis dederant peculia, & horum quibusdam permissum fuerat, etiam in potestate degentibus, testari: nostra id ^{*} Constitutio latius extendens permiserit omnibus in hujusmodi peculiiis testari quidem, sed jure communi. Cujus Constitutionis tenore

** v. L. fin. C. de inoff. test. l. ult. C. qui test. fac.*

tenore perspecto, licentia est, nihil eorum, quæ ad præfatum jus pertinent, ignorare.

I.

Testamentum minus solenne est, in quo, vi Privilegii, Hæres instituitur, *absque Necessitate adhibendi præcise simul septem Testes. a. l. 40. ff. h. l. 8. l. f. C. d. testam.* Ut (1) *Parentum inter Liberos*, idque est minus solennis Dispositio testamentaria de eo, quod Parentes inter Liberos, Hæredes institutos, post Mortem suam fieri volunt. Dividitur in *scriptum*, quod a Parentibus rite scriptum subscriptumve est, *N. 107. c. 1. & nuncupativum*, quod a Parentibus, coram Testibus duobus ad minimum, nuncupatum est. *d. N. l. f. C. fam. herc.* (2) *Tempore Pestis conditum*, quo, ob justum Contagii Metum, coram 7. Testibus, licet non consociatis, Hæres instituitur. *Leg. 8. C. d. testam. j. Dec. El. 46. Hodie* idem coram duobus vel tribus saltem Testibus Jure constituitur a Testatore, Peste similive Morbo laborante, cujusve Domus infecta est. *P. 3. C. El. 4.* (3) *Rusticum*, quo Rusticus Ruri coram rogatis 5. Testibus, cum 7. haberi nequeunt, & absque eorum Subscriptione, si Literati desint, Hæredem instituit. *Leg. f. C. d. testam. R. 7. d. A. 1512. t. 2. §. 2.* (4) *Ad pias causas*, in quo pia Causa coram duobus vel tribus Testibus Hæres instituitur. *Cap. XI. X. d. testam.*

II. *Testamentum* minus solenne est (5) *Militis*, quod a Milite, *in Expeditione* constituto Hæredem instituente, per Declarationem ultimæ Voluntatis

luntatis quomocunque constituitur. *PR. J. b. Pr. I. h. L. i. C. h. (a) l. 40. ff. eod.* Extensum est istud Privilegium ad non Milites in Hostico deprehensos: ut Confiliarios &c. *a. L. un. ff. d. bon. poss. ex test. mil. (b)* urgente pari Periculi Ratione. *Hodie* Milites nostri quoque privilegiatum hoc Testamentum Jure faciunt. Et quidem Testamentum fit, (I) *In Acie per Nuncupationem* coram 2. Testibus, licet non rogatis; *a. l. i. l. 40. ff. b. PR. J. b. l. 20. §. 8. ff. qui testam. fac. j. l. 21. C. d. testam. per Scripturam* sine ullis Testibus: *l. 15. C. b. R. J. Ordn. der Not. d. A. 1512. t. 2. §. 2.* Verum, quando *in Castris* faciunt Testamentum, 2. Testes sunt necessarii, *d. R. J. Ordn. der Not. d. §. 2. extra Expeditionem*, e. g. in Præsidiis constituti, solennem Testium Numerum adhibere tenentur, testari tamen, licet sint Filiifam. de Castrensi peculio possunt. *PR. J. b. d. R. J. §. 2.* (II) *Modo de ipsorum serio testandi Proposuo constet. §. I. J. §. i. I. h. b. l. 24. ff. b. j. C. 61. d. R. J. 6. (c)*

III. Fieri potest Testamentum hoc *etiam* 1) *a Muto & Surdo Milite* Casu tali, *§. II. J. b. l. 4. §. i. I. h. ff. b.* modo suam Voluntatem liquido per Signa indicare queat. 2) *Per Approbationem Testa-*

(a) *Voluntas Militis in Expeditione constituti pro Jure servatur. L. i. C. h.*

(b) *Qui in Hosticulo versantur, cum eadem pericula experiantur, quæ milites, Jura quoque testandi Militum merito sibi vindicant. L. un. ff. d. Bonor. possess. ex testam. mil.*

(c) *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. C. 61. d. R. J. 6.*

men-

menti antea non jure e. g. a Filiofam. conditi,
 sive quid illi adjecerit, sive detraxerit, sive alias
 §. 4. I. h. manifeste Voluntatem suam declaraverit. §. IV.
J. b. L. 25. ff. b. (d)

IV. *Testamentum hoc Militis durat* (1) post
 Missionem honestam vel causariam intra An-
 §. 3. I. h. num, §. III. *J. b.* licet *Conditio Hæredi* adscri-
 pta post Annum extiterit: *d. §.* nam retrotrahitur.
L. 26. ff. d. cond. inst. (e) (2) Licet, qui militare
 Testamentum fecit, arrogatus vel emancipatus fuerit,
 quasi nova Militis Voluntas declarata esset. §. V. *J. b. l. 22. ff. b.*

V. *Testamentum Militis pro Affini agnoscit*
Testamentum quasi militare, a quasi Milite Filio-
fam. de quasi castrens. Peculio solenniter con-
 §. 6. I. h. ditum, §. VI. *J. b. e. g. ab Archiatro. l. f. C. d. in-*
offic. Testam.

TIT. XII.

Quibus non est permissum facere Testamentum.

De filio-familias.

Ex Cajo l. 6. pr. ff. qui test. fac. poss. **N**ON tamen omnibus licet facere testamentum.
 Statim enim ii, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent: adeo quidem, ut

(d) *Fecisse testamentum Militem interpretandum est,*
 qui se velle Testamentum, quod ante fecerat, valere
 aliquo modo declaravit. *L. 25. ff. b.*

(e) *Cum quis sub Conditione Heres institutus fuerit,*
 Conditione expleta pro eo est, quasi pure Hereditas re-
 licta fuisset. *L. 26. ff. d. cond. inst.*

quam-